



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Martii Et Aprilis

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10259

De Paciano episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77384](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77384)

ris inernatum. Ipsum porro oculi tegmen, velut in mensam sacram fabricatum erat. In summo autem, ubi martyres iacebant, exiguum foramen apparebat. Adstans igitur quidam de familia Imperatoris, tenuem virgulam, quam forte habebat, per foramen immisit, & extractam naribus admonuit, & vnguentum fragrantissimum olfecit: ex quo statim tum laborantibus, tum adstantibus bona spes suborta fuit.

Inueniuntur reliquie sanctorum 40. martyrum.

Itaque cum loculum auidè aperuissent, Eusebiam inueniunt. Illud verò quod ad caput eius eminebat, in arcæ formâ celatum, proprio intus tegebatur operculo: & vtrinque ei ad labra circumdatum, plumbo conglutinatum ferrum, ipsum cōtinebat. In eius medio rursus foramen istud apparens, etiamnum manifestius declarabat intus haberi martyres. Hæc ubi annunciata essent, euestigio accurrunt Imperatrix & Episcopus ad martyrium. Tum solutis per artifices ferreis istis vinculis, confestim sine negotio operculum extractum fuit. sub hoc autem multa vnguenta, & in his pyxides argenteæ duæ repertæ sunt, in quibus sanctæ reliquie iacebant. Tunc igitur Imperatrix Deo preces gratulatorias fundebat, tum quòd se tanta reuelatione dignatus esset, tum quòd sanctarum reliquiarum inuentionem assecuta esset. Post hæc preciosissima theca martyres honoratos, iuxta venerabilem Thyrsum composuit, publica festiuitate, vt æquum erat, cum debito honore ac pompa ac psalmodijs celebrata: cui & ipse ego interfui. Atque hæc quidem sic esse gesta, testabuntur illi, qui huic festiuitati interfuerunt. omnes enim ferme adhuc supersunt, cum multo postcâ gesta fuerint, Proclo scilicet ecclesiam Constantinopolitanam gubernante.

In argenteis pyxidibus conditæ coru reliquie. Nota de theca preciosissima.

DE S. PACIANO EPISCOPO, EX CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM

S. Hieronymi presbyteri.

Pacianus in Pyrenæi iugis, Barcilonæ Episcopus, castitate & eloquentia, & tam vita quam sermone clarus, scripsit varia opuscula: de quibus est & contra Nouatianos. Sub Theodosio principe iam vltima senectute mortuus est.

9. Martij.

SANCTORVM CODRATI, CYPRIANI, DIONYSII, ANECTI, PAVLI, CRESCENTISQUE MARTYRIUM, quo affecti sunt Corinthi, Ex Simeone Metaphraste.



MNES quidem Sanctorum celebritates, si verum fatendum est, laudibus prosequi debemus, vt à nobis pro viribus exornentur: sed hanc tamen potissimum, quæ sanctorum Martyrum concursu peragitur. Deo enim ab initio consecrati, ad id, quod omnium pulcherrimum est, perueniunt. Nam cum & temporis longitudine grauitatem essent assecuti, & exquisita viuendi ratione ad pietatis fastigium peruenissent, nihil tamen à se præclare gestum, nihil laude dignum existimârunt, nisi prius sacra certamina subiissent.

10. Martij.

Sanctorum martyrum horum excellens virtus.

Itaque cum magnam magnis in rebus virtutem præstitissent, hac tamen victoria cæteras obscurârunt: immò verò apud eum, qui præmia certaminibus proponit, hac reliquas etiam illustrârunt. Declarati sunt enim martyres generosi, & Dei maximi imitatores. Ad summum igitur virtutis culmen proeucti, meritum à Deo præmium, melioremque, finem, & quæ potest in hominem cadere immortalitatem obtinuerunt. Qui enim apud Deum virtutis obtinet testimonium, is assequitur immortalitatem. Quamobrèm Martyres ex operibus admiramur, qui virtutes amplexi, voluptatibus renunciârunt, & animos suos fortitudine armantes, omnem ignauiam repulerunt, toti que in spem victoriæ erecti, atque alacriter aduersa omnia perperientes, in ea, quam sibi ab initio proposuerant, pietatis ac religionis lege immobiles perstiterunt. Vbi enim præstat se fortiter gerere, quam cum se Deus ducem præbet? Vbi satiùs est dare virtutis specimen, quam vnâ cum Iesu Saluatore? Quæ porro dulcior corona, quam illa, quæ nos cum præstantioribus coniungit? Ad hoc igitur signum Martyres respicientes, & ardentiore quodâ sanctæ gloriæ desiderio inflammati, rerum turpium cupiditates reiecerunt, & in virtutis atque honestatis studium incumbentes, pulcherrimum posteris exemplum ad imitandum reliquerunt. Quæ enim tempore atque vsu sunt antiquiora, nos magis ad rerum honestarum studiū incendunt.

Meritum obtinuerunt præmium.

Virtutis & honestatis studiosi martyres.

Virtutum